אשר תנה *qui dare*:) h. e. qui dediſti vel poſuiſti. infinitum verbi נָתַן *dedit*, (quod aliàs formatur תֵּן נְתוֹן נָתוֹן & תִּתֵּן 1. *Reg.* VI,19.) per enall. ponitur pro finito תִּתֵּן vel נָתַתָּ *das* aut *dediſti*, quippe pro ratione ſequentis verbi יסרת *fundaſti*, infinitum etiam accipi eôdem modô debet. Exempla paſſim proſtant, v. g. *Jer. XIV*, 5. עָזַב *relinquere c. XXXI*, 2. הלך *ire* h. e. *ivit*: item *Coh.* VIII, 6. *vidi* וְנָתוֹן & *dare* i. e. dedi: *c. IX*, 11. *reverſus ſum & videre*, h. e. vidi; *Dan. IX*, 5. *peccavimus* וסור & *recedere* i. e. receſſimus. &c. Ita Syrus: דיהבת *qui dediſti*. Porrò *Dare gloriam ſuam*, eſt gloriam ſuam facere conſpicuam, veſtigia gloriæ alicubi collocare. Adeoque cum modò meminiſſet Terræ: *quàm glorioſum eſt nomen tuum in universâ terrâ!* meritò ſubjunxit etiam mentionem *Cœli*, ut creaturarum complexus intelligeretur perfectus; æquè ut *Pſalm. CXLVIII*, 13. dicitur: *celebrent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen ejus ſolum.* הוֹדוֹ *gloria ejus ſuper terram & cœlum*: *Hab. III*, 3. *operuit cœlos* הוֹדוֹ *gloria ejus*, *& laus ejus implevit terram*: *Pſalm.* LVII, 6. & CVIII, 6. *extollere Deus ſuper cœlos*, *& ſuper omnem terram gloria tua*: *Pſalm. CXIII*, 4. excelſus ſuper gentes Dominus, ſuper cœlos gloria ejus. Aliquibus placet pleonasmus pronominis אֲשֶׁר qualis *Jer. XIV*, 1. *Zach. VIII*, 17. &c. verùm non opus eſt, à proprietate ſignificationis recedere, cum relatio ad Dominum ſatis ſit evidens & decora.

הודך *gloriam tuam*:) הוד *decor, excellentia* vel *majeſtas*, v. g. regni Salomonei 1. *Par. XXIX*, 25. (*Pſal. XXI*, 6.) *Dan. XI*, 21. *Zach. VI*, 13. &c. hinc ſæpiùs cum הָדָר *honor*, conjungitur, ut *Pſalm. CXVI*, 6. *CIV*, 1. *CXI*, 3. *Job. XL*, 10. &c. vide notas meas *Prov.* V, 9. & quæ prolixiùs de voce hac tradidit Arn. Bootius *l. 3. anim. c. 7. §. 13. nec non lib. 4. c. 1.* aſſerens, propriè valere *præſtantiam* aut *excellentiam*. Locus parall. eſt *Pſalm. CXLVIII*, 13. exaltatum eſt nomen Dei ſolum, הודו ſupra terram & cœlum. ſic *Pſal. CXLV*, 5. enarrabo הֲדַר כְּבוֹד חוֹדֶךָ & *Habac. III*, 3. כִּסָּה שָׁמַיִם הוֹדוֹ & *laus ejus implet terram.*

על השמים *ſuper cœlos*:) ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν *LXX.* h. e. adeò magna eſt gloria tua, ut orbe hôc menſurari vel contineri nequeat. Utut terra ſit ingens, punctum tamen eſt ad cœlos, ab iisque gubernatur; *Kimchi.* Utut cœli ſint vaſtiſſimæ capacitatis, terminare tamen nequeunt divinam gloriam: 1. *Reg.* VIII, 27. vide ſis *Pſal* LVII, 11. עַד *usque ad cœlos gratia tua.* ſic עַל *ſupra cœlos gratia tua. Pſal.* CVIII, 5. *Tarn. exer. pag. 375.* qui dediſti gloriam tuam ſuper cœleſtem Filio hominis. *Coccejus*: qui antea habitaſti glorioſè in terris, templô ſc. Hieroſ. nunc, poſtquam adſcendiſti in altum, *Pſal. LXVIII*, 19. glorioſè ſedes in cœlis, deſtructô templô, &c.

EXPLICATIO VERSUS III.

מפי *ex ore*:) i. e. teſtimoniô, ut *Num.* III, 16. *Matth. XVIII*, 16. *ita Tarn.* adeôque non armis, ſed ſolô ſermone hoc regnum fundatur, & quidem adeò debili ac imperitô, ut vagitui lactentium ac balbutiei videatur ſimilis. *Chryſ. & Theoph.* de infantibus, qui miraculosè fuerint locuti; ſed ſic Phariſæi eos non carpſiſſent ob miraculoſum ſermonem, verùm potiùs mirati eſſent. *Calv. Piſc. Vatab* aliique de ſuctione lactentium mirabili, quæ objectivè conciliat Deo laudem: vel ſecundùm Kimchium, initium mirabilium Dei in homine eſt mox poſt partum, quando fugitur, ſed ſic bruta quoque fugunt. vide D. Calov. *ann. anti-Grot. h. l.* pluribus.

עוללים *parvulorum*:) quales in plateis ludentes ſolent discurſitare *Jer VI*, 11. *IX*, 20. (21.) ſic עוֹלֵל cum יוֹנֵק jungitur *cap. XLIV*, 7. *Thren. II*, 11. 1. *Sam. XV*, 3. *XXII*, 19. (ab עולל ad יונק) *Thren.* II, 20. item qui jam panem poſſunt petere à matre, *Thren.* IV, 4. qui ambulant captivi *c.* I, 5. *R.* עָלַל *operari, ludificare*: hinc עוֹלֵל puer, loqui, cogitare aut agere aliquid incipiens. De embryonibus accipit *Midr.* uti יונ' pro natis jamjam. De ſacerdotibus & Levitis in templò cantantibus *Raſchi*. Alii quidam Ebræi de ſcholæ alumnis & ſapientum diſcipulis: apud *Sim. de Muis.* Sicut itaque parvuli & lactentes ad pœnitentiam publicam adducendi, *Joel.* II, 16. ita & h. l. robur ex eorum ore Deus ſibi paraſſe dicitur, & Chriſtus *Matth. XXI*, 16. ad παῖδας in templô acclamantes clarè hoc accommodat. Interea non excluduntur νήπιοι illi, (i. e. ſimplices ac in fide ſinceri homines) ad evangelii præconium laudesque Chriſti in orbe ebuccinandas electi *Matth. XI*, 25. imò hôc nomine veniunt omnes in fide ſimplices Chriſtiani 1. Cor. XIV, 20. *Mar. X*, 15. *Matth.* XVIII, 3. Adeoque judiciô Dn. D. Calovii non malè per parvulos & lactentes comprehenduntur non ii tantùm, qui tales ſunt τὰ ἔτη, ſed etiam, qui ſunt τὰ ἤθη, &c. vide ibidem porrò de nugis Rabbinicis circa laudem Dei ex mammarum mirabili ſtructura &c. item de Riveti conciliatione textus hujus cum allegatione Chriſti *Matth.* XXI, 16.

יונקים *lactentium*:) i. e. adhuc juniorum, licet & his loquela denegari non debeat, cum ad triennium usque lactati ſint pueri Ebræi, 2. *Macc.* VII, 27. (Valleſ. *philoſ. ſac. c.* 83.) Subjungitur hoc parvulis, ut eo major ſit extenuatio præconum contemtibilium.

יסרת *ordinaſti*:) ſolideque *fundaſti*, ne diruatur aut turbetur ab aliis: ſic enim יָסַד *fundavit*, in piel uſurpatur de certa diſpoſitione ac ſolida ordinatione, quomodo David יסד conſtituit janitores, 1. *Par* IX, 22. ita & Rex Ahasverus יִסַּד diſpoſuit de potu præbendo *Eſth.* I, 8. (aliàs etiam de fundatione ædificii Joſ. VI, 26. *Zach.* IV, 9. &c.) Conſtituiſti robuſtum regnum (vel victoriam) per doctrinam hominum ſimplicium; *ita Flac. cl. f* 357.

עז *robur*:) i. e. ἄινον (ut LXX. & *Matth.* XXI, 16. reddunt,) ſeu celebrationem roboris ac omnipotentiæ (per meton. objecti *Glaſſ. V. philol. p.* 47.) ita & *Jun. in parall.* de robuſtâ ac vehementiſſimâ laude. ſic Pſ. XXIX, 1. afferte Deo כבוד וָעֹז *gloriam & robur*: item Pſ. XCVI, 7. Pſ. LXVIII, 36. 1. *Pet.* V, 11. δόξα καὶ κράτος vide ſis Capelli critic. f. 536. & de fide infantium conſule *Niſan. de fid. inf. p.* 21.

למען:) ſcil. ut tanto magis impiorum confundas argutias, potentiam, &c.

צריך *adverſarios tuos*:) non quidem immediatè angentes te, ſed mediatè, ratione piorum tuorum, ut in illô: *Saul quid me &c. Act. IX*, 4. (de צָרַר Pſ. VI, 8.) Vel intelligit ipſos proprios perſonæ Chriſti hoſtes Phariſæos atque Scribas, qui contra Jehovam & Meſſiam ejus furebant, Pſ. II, 1. Act. IV, 27.

להשביח *ut aboleas, facias ceſſare*:) שבת enim eſt *quieſcere*, & in hiph. quieſcere vel ceſſare facere den Pracht einen legen, ut *Ezech.* VII, 24. (ſuperbiam,) ſplendo-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn354076086/64 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG